

SOLEMNIA
MAGISTRORVVM

PHILOSOPHIAE ET ARTIVM

CREANDORVM INAVGVRANDORVMQVE

IN DIEM PROXIMVM IOVIS

H. E.

D. XIV. FEBRVARI

INDICIT

ATQVE AD EA CONCELEBRANDA

INVITAT

ORDINIS PHILOSOPHICI

DECANVS

D. CAROLVS ANDREAS BEL.

*De optimis contra Fanaticismum in litteras
grassantem remediis.*

Encycl.

102, II.

SOLENNIA

MAGISTRO RVM

PHILOSOPHIAE ET MATHEMATICA

GRADUUM IN PHILOSOPHIA ET MATHEMATICA

IN SENATU UNIVERSITATIS

MDCCCXXXIII

D. DIE XXIIII

INDICIS

DE SENATU UNIVERSITATIS

PHILOSOPHIAE

GRADUUM IN PHILOSOPHIA

DE MATHEMATICA

D. CAROLO VON KUNZE

DE SENATU UNIVERSITATIS

PHILOSOPHIAE

GRADUUM IN PHILOSOPHIA



DE OPTIMIS
 CONTRA FANATICISMVM,
 IN LITTERAS GRASSANTEM,
 REMEDIIS.

Exfoluendum enim est nomen, quod superiore Prolu-
 sione contraxi, tantoque minus deferenda est coepta
 illic tela, quod etiam pars illius utilior restare videtur.
 Querelas quidem fundere super doctrinae melioris sorte ho-
 dierna; accusare proteruiam et impudentiam multorum,
 qui intestini litterarum hostes reputandi sunt, iisque tanto
 magis nocent, quanto minus nocere velle videntur; noscen-
 dos eos et fugiendos proponere, etiamsi nubibus se et ipsa
 religione inuoluant: haec igitur, quamquam difficultatibus
 suis non careant, tamen, si acuto spectatori vel e longinquo
 monstrentur, etiam paucis tantum verbis declarata egregie
 patefcunt. Sed postquam hac parte susceptae operae de-

IV

defunctus sum nuper, etiam grauior illa nunc exsequenda est, qua doceatur, quibus armis vel debellanda sit haec pestis, vel arcenda et pellenda procul a consuetudine litterarum; imo, vt maius aliquid audeamus, quemadmodum et haec aetas, et posteritas, ab illa tutae praestandae sint.

Est autem operae pretium, hoc loco monuisse, non mihi in vniuersum de fanaticorum amentia, quae multiplex sane est, et varias formas, vt hominum atque temporum ratio postulare videtur, induit; sed de eo tantum genere sermonem institutum esse, quod ipsa litterarum auctoritate contra litteras vtitur, fere vt olim *Malebranchius*, foecundissimae *Φαντασίας* ope *Φαντασίαν* dicitur oppugnasse. Prorsus illiterati, et de plebe fanatici, parum profecto metuendi sunt: velut quisque fauces et laniatus ferarum bestiarum cauere didicit, ita hos cauet atque effugit facillime. Sed qui in aliqua, etiamsi tenui, litterarum cognitione, quam etiam opinio de munere eorum aut fama auget, in acumine non contemnendo, ingenio luxuriante, imaginandi autem vi ignea prorsus et delirante, litteras meliores arte et ratione quadam, quae feruorem eorum temperare videantur, petunt, hoc opus hic labor est; talium vel euitare illecebras, vel dolosas machinationes cito et repetitis vicibus frangere, furentes vero, et artis magnitudine tripudiantes, compescere.

Atque ego quidem non ignoro, hanc gentem minime omnium fanaticismi nomen aequo animo ferre. Degustauit enim doctrinae elementa quaedam, alia doctioribus debet, eaque *μετὰ πολλῆς Φαντασίας* elevat, exornat, ludendo ac fingendo amplificat, vt nequaquam ingeniorum haec praesidia spernere, quinimo colere ceteris diligentius, videatur. Commendat etiam astute satis litterarum studia,
quae-

quaecunque suis vsibus inferuire quodammodo existimat. Multo autem magis propterea immunem se a turpi illa et perniciosa labe esse clamat, quod philosophari quoque sciat, atque adeo intelligendi subtilitate, iudicandique peritia, non vaga rerum in sensus incurrentium specie regatur. Denique ordine et via non prorsus incommoda progreditur, cum ad notas veri regiones contendit, easque vsui publico pandere conatur. Quae, si nullo rerum vsu adiutus contempleris, et magna de se praedicantibus fidem habeas, nihil in his hominibus, vultu praesertim et sermone misere blandis, fanaticismo amicum suspiceris.

At nos latentem in herba anguem protrahere, et occulto veneno priuare discamus. Laudant bonas litteras, imprimis quae ab humanitate honorificum nomen traxerunt; quis enim vituperare audeat? sed has laudes abrumunt ac fere tollunt, quamprimum in deuia sua rapiuntur. Quum enim ea proferunt, et velut inaudita, abstrusa, imo etiam diuina ostentant, quae non praeclarorum ingeniorum more, hoc est, ex optimarum litterarum adytis, ingenii iudiciiue maturitate, legendi, explorandi, et comparandi solertia, aliisque verissimis exercitationibus, et ducibus praestantissimis perceperunt; sed sibi solis, vel potius fingendi et somniandi licentiae suae relictis, debent: tum vero diligenter monent, et cum suspiriis, non esse nimium tribuendum bonis litteris, vtilis illas quidem censendas esse in partibus, et in discendis sublimioris doctrinae rudimentis; sed altius euolaturis omittendas esse in puluere iacentes; memoriae tantum et diligentiae fere manuarum illas satisfacere, non perspicacissimis, quales sui sint, oculis, nec diuinitati rerum a se cognoscendarum, quae mirificam quandam *εὐσεχίαν* desiderent, longissime vulgares
 A 3 illas

illas litteras superantem; ab his non modo subsidia nulla, (et est hoc verissimum,) in his campis aethereis expectanda, sed metuendum etiam esse, ne cultores suos vanitate, novarum rerum studio, tricis minutissimis consecrandis, aliisque nugis nutriant, tantoque magis a coelestibus et sublimibus spectandis abstrahant. Hanc iudicandi insolentiam ut eo probabiliorem reddant, addere non verentur, eos, qui pio et religionis studio gaudeant, hoc ipso satis doctos atque ingeniosos esse, ac innumera rectius multo intelligere, quam qui profana illa litteratura, paganarumque linguarum scientia, et ethnicorum scriptorum familiaritate turgeant. Et sunt alia non dissimilis generis, ex quibus hos verae doctrinae hostes, in insidiis positos, velut ex ungue leonem facile dignoscas. Nam, ut hoc utar, etiam cum philosophantur, alieni a litteris philosophiae affinibus, spernentesque, et non raro abominantes magna illa ingenia, quae a tot inde Seculis, in vero indagando, causisque rerum scrutandis, sagacissime versata sunt, sua unice inventa protrudunt, vetera scita novis vocabulis et sententiis aenigmaticis obscurant, nihil non agunt ut *αἴθερα*, nec ulli mortalium videnda, sensibus palpanda exponant, rationis et religionis terminos penitus permiscent; verbo, ea conantur, declamant, gesticulando etiam in scenam producunt, quae

Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

Ita perspectis eorum notis, et propriis signis, multum iam ad eos vitandos, ad deprehendendos hos Proteos, profecimus. Nam ita callide transformant se in sapientiae omnis doctores, ut nisi ipsi clarius nonnumquam mentem prodant, aut in tenebris et sententiarum suis imparati opprimantur, fallant vel attentissimos. Verum ut progressibus eorum obicem ponamus, dispiciendum est, quaenam aduersus eos tela maxime sint penetrabilia. Ac primum quidem

dem

dem nemini non succurrat, vehementia et impetu quodam in eos irrumpendum esse, furorique eorum non imbellem fortitudinem opponendam. Indigni enim videntur, quos leniter et moderate habeas, non modo propter ferociam et superbiam intolerandam, quamvis ea saepius modestiae externam speciem mentiatur; sed etiam quod adeo celeres et repentinos in animis multorum progressus faciunt traegodiae et miracula, quorum artifices ingeniosissimos agunt, ut nisi vim et gravem armaturam pares, omnia late circum in sua castra pertrahant. Rursus autem obstare huic remedio videtur, quod alia omnia plerumque in hoc hominum genere efficit, quam quae iure expectare possis. Nam, quemadmodum veteri proverbio dicitur,

— *Bacchae bacchanti si velis aduersarier,*
Ex insana insaniorem facies: —

Sic isti, quo magis urgentur atque impugnantur, eo pertinacius obfirmant animum, et quod Dei atque veritatis causam a se defendi vociferantur, tanto magis ad eam tuendam obstringi se putant, quanto flagitiosius eam laceffiri ab impiis et profanis hominibus, (hoc est iis, quicumque secum non conspirant,) conqueruntur. In quo illi non dissimiles sunt sectis fanatico oestro concitatis, quas historia omnium temporum docet tum demum in supremam rabiem incidisse, cum legibus, poenis, ac suppliciis in eas faeuri coeptum est.

Lenioribus ergo consiliis vtendum erit, vt perniciem a litteris, sacris ipsis, et republica auertas, quam gens fanatica minatur? Suadet hoc irritabilis eorum animus, qui, cum facile nimis commoueri et accendi possit, mitigata atque comi oratione demulcendus videtur, vt rectiores sententias

tentias

tentias admittat, sibi que, ut est apud poetam, *veteres auias de pulmone reuelli* patiat. Suadet ipsa veritatis dignitas, quae mentibus tum demum pronis accipitur, cum non impressione facta vi quasi obtruditur, sed suavi oratione instillatur. Neque etiam dignum videtur moderatae sapientiae cultoribus, ut eorum, quos corrigere suscipiant, aetum et petulantiam quodammodo imitentur. Audio; sed idem, recte in vniuersum observatis omnibus, hoc quidem loco parum efficaces vsus praesto esse facile intelligo. Qui enim ferarum in modum agros melioris doctrinae vastant, num blando cantu, velut auiculae, captandi sunt? Parum certe sentiunt monita et praecepta placidissima homines, cum non tam seueram cogitandi iudicandique disciplinam sectentur, quam a circumstrepentibus phantasmatibus intransuersum rapiantur. Itaque faces quaedam orationis admouendae illis videntur, ut vbi versentur, aut versari eos deceat, discere et experiri possint. Quid? quod mansuetata illa ratio, eorum turbulento ingenio opposita, multo etiam ferociores reddit eos, qui se supra captum generis humani sapere autumant, et in eam opinionem adducit, ut reuerentiae ac fere timidiusculae obseruantiae causa ita secum disputari existiment.

Iam si alia via incedendum fuerit, ut ad sedem huius calamitatis delendam peruenias, erunt qui risum et fannas acuendas commendent, illiusque auctores, quod ipsorum stultitiae debetur, acerrime traducendos esse atque exhibilandos. Vere enim et hoc loco illud poetae graue vsurpaueris:

Ridiculum acri

Fortius ac melius magnas plerumque secat res.

Ac

Ac profecto, si vspiam locus est, vbi difficile sit fatyram non scribere, hanc fanaticorum litteris aduersus litteras lepide pugnantium palaestram, et immensa somniandi spatia, eo retuleris. Eorum volatus Icarios, in describendis daemonum rebus gestis operosissimam solertiam; in intimis naturae hominumque ipsorum penetralibus aperiendis male sedulum laborem, magna contentione nihil eruentem; in futuris noscendis et praedicendis mirificam sagacitatem; in interpretandis oraculis diuinis lusus, et visa portentosa; denique, vt multa paucis eloquar, in exstruendo orbis atque inferorum aedificio, aranearum telis quam simillimo, suauiissimam nugacitatem: haec igitur omnia quis serio refutanda censeat, nec potius adunco naso suspendenda? Quae tam nullis fundamentis nituntur, ea magno conatu et doctrina a radicibus vsque euellenda nemo suaserit. Non videbitur igitur maior quam par est his scitis tenebricosis honos habendus esse, sed erunt ridendo breuiter, et cum emphasi expedienda.

Attamen hic quoque dubitatio subnascitur, num hoc tramite ad optatam metam deducaris. Ridebis ἐν θουσιαισιν ἡδὲ hoc genus; sed eo ipso magis etiam irritabis. Iure quodam suo conqueretur, se non expugnatum et ratione victum esse, sed iocis et procaci dictione laesum; quae aliis ridicula videantur, ea tamen sibi vera et certa reputari adeo, vt nisi argumentis, nullis armis aliis cessurum sit. Addere possis et istud, illis ipsis, quae isti tam inepte tractant, admixtas esse de rebus sublimibus, grauissimis, atque vtilissimis, disputationes, quas vir bonus et sapiens pro dignitate explorari, quam perfunctorio risu depelli malit.

Supereft, vt tacito contemptu, pusillam hanc cohortem fanaticam, imo, si vel numerosa sit, miseratione potius,

tius, quam ira exstantiore dignam prosequaris. Sint acuti, tamen est arista acutior; sint sapientes, beati, suo suorumque iudicio: parum tamen dignos se aduersarios viri ingenio, doctrina, meritisque in litteras praestantes, agnoscent. Ulciscetur hos tempus ipsum, nudabitque aliquando, etiam obtusioribus oculis, magnificas illorum fordes. Vere olim vir eximius: *Opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat.* Dictum etiam putemus in hos stupentis plebeculae doctores, promissores, et vates, cuius per breuiusculam aetatem aura pascuntur; mox huius quoque in se studia et venerationem refrigerare sentient, suaeque ipsi plerumque famae supererunt. Nihil enim manere diu ac florere potest, quod non sit verissimum atque vtilissimum; reliquae naeniae, fere dum spernuntur occidunt, et caducos flores amittunt. Vir olim egregia doctrina, et meritis non contemnendis in religionem et litteras conspicuus, *Petrus Iurrius*, cum imaginandi feruore correptus tamen et ipse in fyrtes eiusmodi incidisset, multaque de fatis Christianarum Ecclesiarum instantibus, tamquam sibi certo comperta, vulgasset, parum abfuit, quin ad eum usque annum vitam produceret, quo pseudopphetam fuisse intellectum est ab omnibus; quale quid olim *Stübelio*, viro cetera doctissimo, hic Lipsiae accidit. Multo magis ridiculos se praestant alii, serius vel ocysus, qui in perexili doctrina, tragoedias multo argutiores spectandas offerunt.

Vnum est, quod veritatis et litterarum causam a tali contemptu vindicatoris obstare queat: tanto nimirum magis acuti ac quieti, licet contemptissimi, doctores illi propagabunt cerebri inuenta sui, nec umquam illis deerunt imbecilli ingenio homines, qui circumfusi illis omnia eorum mirentur, et intimis sensibus atque pectore recondant. Itaque spernendo, tamen per tempus aliquod crescent, praesertim cum

cum

cum lues illa, quam disseminant, sit omnino malum, quo non vllum aliud velocius:

Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Erunt fortasse, qui ex hoc remediorum aduersus fanaticorum audaciam censu colligant, nullum satis aptum, et debellandis iis sufficiens reperiri. Sed ego quidem alia omnia hinc elucere existimo. Non vnico remedio, contra omnia illorum genera, omnibus temporibus et locis, omni denique religionis et litterarum statu, vtendum est. Coniungenda nunc sunt, nunc hoc adhibendum, nunc aliud. Qui nimis insaniunt, et furibundis similes, nouis quotidie monstris grauidi, bacchantur, castigandi illi sunt, et toto corpore quassandi. Qui infelici hac semita primum incedere, idque optimo animo, et moderatius ceteris, videntur, lenius increpandi, ac meliora docendi sunt. Qui graui vultu, et velut oracula fundentes somnia sua pro praeceptis diuinis venditant, inuenisse se in coelis atque inferis, quae nemo ante se, iactitant, omnes autem qui fidem sibi habere detrectent ad tartara ablegant, hos non risu, sed cachinno confutare quid vetat? In mixto genere, mixta etiam remedia aduocanda sunt. Medici hoc sciunt: mixturas vocant. Attamen, fatebor enim, plerique eorum, vbi senio proximi fuerint, nullo remedio ad sanitatem perducentur: totos enim error ille et morbus, non mentis solum, sed etiam animi, occupauit, vt adeo, si vel plaustra ellebori et alexipharmacorum in eos effundas, tota reliqua vita deliraturi sint.

Itaque hoc diligentius ex altera parte curandum est, ne ab illis pernicies haec latius diffluat et euagetur. Adfero remedium, quod certissimum et praestantissimum omnium dixeris: ita instituenda est mature litteris dicata iuuen-

tus, vt aduersus Sycophantarum istorum illecebras egregie munita et praeparata dici possit. Nimium in hac aetate dominatur *φανλασία*; facillimeque ita capiuntur adolescentuli mirabilium rerum et fabellarum philosophicarum enarratione, vt haec sola vera, eximia, et laudanda putent. Sed iidem, vbi cito adsuefacti fuerint accuratae percipiendarum litterarum rationi, vanam subtilitatem, et vagandi per *δυναλα* atque *αδύναλα* licentiam, a percepto praeceptorum vsu segregare didicerint, inprimisque criteria illa, de quibus dixi, tenuerint, e quibus fanaticismi antesignani dignosci possint, non difficulter horum *κευολογίαυ* atque anfractus vitabunt.

Hanc ad eruditionis, inprimisque philosophici acuminis, laudem consequendam, ingressi viam sunt, qui nunc, ex decreto Ordinis mei, summis in Philosophia honoribus ornabuntur. Praeterquam enim quod a morum integritate, omni vitae academicae tempore, commendari meruerunt, etiam doctrinae melioris eam sibi copiam compararunt, quae esse auctoramento, ad pergendum sine offensa in laudabili hoc tramite, possit. Sunt autem istorum haec nomina:

CONRADVS GOTTLOB ANTON

LAVBA LVSATVS

IOANNES GODOFREDVS LEONHARDI

LIPSIENSIS

MEDICINAE BACALAVREVS

ADAMVS MICHAEL BIRCKHOLZ

PRETTINA SAXO

MEDICINAE BACALAVREVS

STANIS-

STANISLAVS NALECZ MOSCZYNSKY

E PALATINATV CRACOVIENSI POLONVS

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS WOLLE

LIPSIENSIS

CAROLVS FRIDERICVS HINDENBURG

DRESDENSIS

IOANNES EHRENFRIED POHL

LIPSIENSIS

MEDICINAE BACALAVREVS

IUSTVS GVILIELMVS GÜNZ

LIPSIENSIS

MEDICINAE BACALAVREVS

GVILIELMVS CHRISTIANVS OETTEL

POESENECCIO THVRINGVS

IOANNES CHRISTOPHORVS TRAMPLER

CVRIA VARISCVS

AVGVSTVS HELFGOTT EBERT

HAYNA MISNICVS

IOANNES AVENARIVS

HOHENPRIENITIO MISNICVS.

CHRISTIANVS GODOFREDVS MÜLLER

ZOEBLIZIO MISNICVS

In

In his priores sex, diplomate publice proposito, Magistri Philosophiae et Artium declarati, nunc solennibus formulis renunciabuntur: septem reliqui, die Iouis proximo, h. e. die XIV. Februarii, hora X. in Philosophorum Auditorio, more Maiorum, creabuntur atque inaugurabuntur. Quam diei solemnitatem UT RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLUSTRISSIMI COMITES, VRBIS ET ACADEMIAE PROCERES, COMMILITONES denique generosissimi atque nobilissimi, cohonestare sua praesentia velint, non meo solum, sed et Ordinis mei nomine, vehementer rogo.

P. P. in Studiorum Vniuersitate Lipsiensi Dominica
Esto mihi A. C. MDCCLXXI.



L I P S I A E

EX OFICINA LOEPERIA.

